



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. ij. De genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

Errum diuisio illa vniuersaliū sit vniuoca.

Vniuoca erit illa diuisio, si eadem omnino ratio significata per nomen *vniuersalis*, conueniat generi, speciei, &c. Erit analoga, si partim sit eadem & partim diuersa.

Affertio affirmatiua.

Probatio.

Dico secundò. Vniuersale diuiditur in quinque species, tanquam genus vniuocum ad illas.

Ratio est, quia tunc aliqua ratio superior vniuocè conuenit suis inferioribus, quando ita perfectè potest ab illis præscindi, vt nec illa includat, neque in illis includatur: vniuersale in communi, neque includit in conceptu suo genus, speciem, differentiam, &c. vt patet, neque in eorum differentis includitur; possum enim rationem generis specialiter concipere, quin concipiam illud esse vniuersale: ergo vniuersale genus est vniuocum ad quinque vniuersalia.

Prima obiectio.

Obicitur primò. Si vniuersale genus est vniuocum, sequitur genus esse superius & inferius seipso; superius, vt est vniuersale; inferius, vt est primum vniuersale: hoc autem absurdum videtur. Neque dicas, vniuersale vt est genus, esse superius, & prius seipso vt est species. Contrà enim insto. Si genus est species vniuersalis: ergo species prædicatur de genere; quod implicat. Deinde vna species non potest prædicari de altera, quæ subest eadem generi; v. g. dicere non licet, *Homo est equus*: *Genus & species*: sunt species vniuersalis: ergo falsum est dicere, *Genus est species*. Denique si genus, quod est primum prædicabile, sit species: ergo prædicabilia confundentur.

Resp. implicare quidem, vt aliquid sit superius seipso sub eodem conceptu; sed non implicare, vt aliquid sub vno conceptu sit superius seipso, & sub altero conceptu inferius. Genus igitur, vt est prima species vniuersaliū, est inferius seipso vt est vniuersale in communi; sic enim vniuersale vt genus ad omnia vniuersalia est prius seipso prout prima species vniuersaliū. Ad instantias autem respondeo, speciem posse prædicari de genere, non quatenus est genus, sed quatenus participat rationem speciei. Verum est, quod vna species realis, & essentialis non potest prædicari de altera specie: species autem vna denominatiua prædicari potest de altera specie: v. g. dicere licet: *Album est dulce*. Denique nego, confundi vniuersalia, etiamsi reuerà genus sit species vniuersaliū, accidentaliter, & denominatiue per aliam secundam intentionem speciei superadditam.

Secunda obiectio.

Obicitur secundò. Genus debet esse aliquod vniuersalius quàm species: sed vniuersale non est vniuersalius genere, cum genus contineat in se vniuersale: ergo vniuersale non est genus.

Resp. distinguendo minorem: vniuersale vt est genus, non est vniuersalius genere vt species, nego; vniuersale vt est species generis, non est vniuersalius genere, concedo. Vniuersale autem continetur sub genere, quatenus est species, non quatenus est genus.

Tertia obiectio.

Obicitur tertio. Nullum transcendens esse potest genus vniuocum: ratio prædicabilis, vt sic, est aliquid transcendens, cum includatur in differentiis vniuersaliū; nam qualibet differentia pertinet ad tertium prædicabile, scilicet ad differentiam: sed qualibet ratio vniuersalis est differentia: ergo ratio prædicabilis includitur in omnibus differentiis inferiorum, & est aliquid transcendens. Confirmatur, quia vniuersale in communi est genus:

A ergo vniuersale in communi includitur in vno è suis inferioribus.

Resp. negando, quod communis ratio vniuersaliū sit transcendens, & includatur in suis inferioribus; ratio enim propria generis, v. g. non includit formaliter vniuersalitatem, cum dicat tantum prædicari incompletè, seu esse partem determinabilem. Verum igitur est, quod differentia qualibet adequatè sumpta, est prædicabilis; si autem sumatur incompletè, prout abstrahit ab vniuersalitate, non est prædicabilis. Ad confirmationem respondeo, vniuersale includi in vno è suis inferioribus, vt dixi; sed nego illud includi in eius conceptu præciso. Denique licet verum sit, quod nulla ratio purè realis intrinseca conuenire potest substantiæ & accidenti, quia quidquid realiter & intrinsecè conuenit accidenti, conuenit illi dependenter à substantia; potest tamen aliqua denominatio extrinseca, & per intellectum accidenti conuenire, etiam independenter à substantia.

SECTIO II.

De Genere.

Istud est primum prædicabile, non ratione perfectionis, sed ratione vniuersalitatis; de quo video disputari plurima. Hæc autem omnia facile reuoco ad tria capita: quomodo genus definiatur, quomodo prædicetur, de quibus prædicetur.

§. I.

Quomodo genus definiatur.

Certum est, posse genus definiri prout est prima species vniuersaliū; nulla enim est species, quæ non constet genere & differentia; quæ duo componunt veram definitionem, & ad eam sufficiunt.

Dico primò: Genus rectè posse definiri primò essentialiter & propriè, *Id quod est vnum aptum inesse pluribus tanquam pars determinabilis*. Secundò descriptiue per proprietatem, *Id quod est aptum prædicari in quid de pluribus specie differentiis*.

Primam definitionem voco essentialem, quia propria quidditas vniuersalis est aptitudo, vt sit in multis, ex qua essentia emanat aptitudo ad prædicationem, tanquam vera proprietas. Obseruo ergo ad explicationem primæ definitionis, reperiri necessariò duo in quolibet composito essentiali, quorum vnum est potentia, alterum verò est actus. Potentia vocatur illa pars, quæ est ex se indeterminata, & determinatur per aliam: actus illa pars, quæ determinat aliam. In composito physico v. g. potentia, seu pars determinabilis, vocatur materia; actus autem, seu pars determinans, dicitur forma. In composito autem metaphysico pars determinabilis, seu potentia, vocatur genus; actus autem dicitur differentia. Et per analogiam ad compositum physicum, pars determinabilis vocatur materia metaphysica; pars autem determinatiua, forma metaphysica.

Dicitur itaque genus, *Id quod potest inesse pluribus*, &c. Vbi priores illæ particulae, *id quod*, tenebant locum generis, si significant genus esse vniuersale, vt contendit Toletus; nihil enim est incommodi dicere, quod aliqui opponunt, vniuersalitatem esse differentiam. Si autem, vt alij volunt, particulae, *id quod*, significant subiectum, seu

Duplex definitio generis.

Actus & potentia.

Particulae prioris definitionis explicatae.

seu naturam, quæ denominatur genus, sicut quoties aliquod concretum accidentale definitur, subiectum loco generis ponitur in recto, vt cum dicitur, *Album est disgregatum visus*, in recto id quod definitur, est corpus affectum albedine; quando verò definitur in abstracto, tunc subiectum ponitur loco differentie in obliquo, vt risibilitas est hominis aptitudo ad ridendum. Si, inquam, particula, *id quod*, significant ipsam naturam, tunc loco generis in hac definitione, est totum illud, *Id quod est aptum inesse multis*; reliquæ verò loco sunt differentie, vt pars determinabilis; quia genus ex se indeterminatum est ad plures species; animal v.g. conuenire potest homini, vel equo: determinatur verò per rationale ad hominem, per hinnibile ad equum.

Prædicari in quid.

In secunda definitione duo explicari debent, quid sit *prædicari in quid*; per quod genus distinguitur à differentia, proprio & accidente: deinde quid sit *incomplete prædicari*. Primum igitur prædicari in quid, est *prædicari ad modum per se stantis*, seu est esse concretum substantiuum, vt pars hominem, esse animal. Prædicari verò in quale, est *prædicari per modum adiectiui*, & determinantis aliud, siue est esse concretum adiectiuum; nam esse rationale, risibile, album, termini sunt adiectiui. Prædicata substantiua dicuntur *prædicari in quid*, quia per illa respondetur ad quæstionem, *quid est*; vt si quæras quid sit homo, respondeo esse animal. Adiectiua prædicantur *in quale*, quia per illa respondetur ad quæstionem *quale sit*; vt cum queritur, qualis sit homo, respondetur, rationalis, risibilis, albus. Secundò incomplete prædicari est ita prædicari, vt formaliter distinctè vna solum pars essentie explicetur, tota verò essentia confusè: vt cum dicitur, *Homo est animal*. Prædicari autem completè, est ita prædicari, vt tota essentia subiecti explicetur formaliter distinctè, quamuis non explicetur distinctè singularitas, vt cum dicitur, *Petrus est homo*.

Incomplete prædicari.

Liquet igitur ex his, rectam esse definitionem hanc secundam à Porphyrio traditam, in qua necesse non fuit ponere illud, *incomplete*; quia eo ipso, quod genus prædicatur de pluribus differentiis specie, prædicatur *incomplete*.

Prima obiectio. Genus non definitur.

Obiicitur primò. Si genus definitur per proprium genus & differentiam, datur infinitus progressus in generibus; quia sicut primum genus habet secundum genus, per quod definitur; sic secundum genus definitur per tertium genus, & sic in infinitum. Deinde ens per accidens, quod nimirum constat ex rebus diuersorum prædicamentorum, non potest definiri: huiusmodi est genus, quod componitur ex natura & vniuersalitate: ergo genus non potest definiri. Denique si genus definitur, datur aliquod genus vniuersum commune omnibus generibus, etiam generalissimis; imò enti reali, & enti rationis; quod tamen est falsum, vt communiter dici solet.

Resp. nullum dari progressum infinitum, etiam si genus definiatur, & habeat genus; quia quoties fit progressus ad aliquid eiusdem rationis cum eo à quo cepit progressus, semper est sistendum in primo quo: hic autem progressus incipit à genere, quod est pars definitionis; idè sistendum in eo est, cum eodem modo definiatur, non vt genus, sed vt prima species vniuersalium. Ens per accidens definiri potest, quatenus constat ex pluribus, quæ sunt aliquo modo vnum; acenus enim lapidum, v.g. definiri eo modo potest, & multò magis definiri poterit illud ens per accidens, cuius partes se habent per modum actus & potentie, vt album, genus, & alia concreta. Enti

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

A reali, & enti rationis, generibusque generalissimis dari potest aliquid commune vniuersum, quod sit denominatio solum extrinseca intellectus.

Obiicitur secundò. Pars nunquam potest prædicari de toto; non enim dicere licet, *Homo est digitus*; ergo si genus est pars, non potest prædicari de specie, quæ est totum. Deinde idè animal prædicatur vt pars, quia non dicit formaliter totum illud, quod dicit homo: sed homo non dicit formaliter totum quod dicit Petrus; igitur etiam species prædicatur vt pars. Denique sicut genus dicitur recipere differentias minùs communes, sic dici eodem iure potest pars materialis, quia recipit differentias indiuiduales, & per eas contrahitur. Imò non maior videtur ratio cur genus recipiat differentiam, quam quod differentia recipiat genus.

Resp. verum esse, quod pars physica, v.g. materia, nunquam prædicari potest de toto, quia realiter ab eo distinguitur; pars verò metaphysica, vt animal, prædicatur de toto, quia non distinguitur ab eo realiter, & est totum confusum, cum sit abstractum abstractione totali; est enim verè concretum. Deinde distinguitur illa maior: idè animal prædicatur vt pars, quia non dicit formaliter totum quod dicit homo, secundum essentiam communem, concedo; quia non dicit totum quod dicit homo materialiter, nego. Homo dicit formaliter totum quod dicit homo secundum essentiam communem, idè prædicatur vt totum, etiam si non dicat totum, quod Petrus dicit materialiter, id est, non dicit singularitatem Petri propriam. Vnde sequitur, hanc prædicationem: *Petrus est homo*, esse quidem incompletam physicè, sed esse completam metaphysicè, quia dicit totam essentiam communem pluribus; & esse quoque completam logice, siue in ordine ad scientias, quæ de solis agunt rationibus communibus. Denique differentia in hoc differt à genere, quod genus sit pars materialis essentie communis; differentia verò dici possit pars materialis ipsius indiuidui, sed non essentie communis. Ratio autem cur genus dicatur recipere differentiam, est quia cum latius pateat quam differentia, per illam determinatur.

Secunda obiectio, fallam esse definitionem.

Obiicitur tertio. Quando genus definitur, vel id quod definitur in recto, est tantum ipsa natura realis subtrata vniuersalitati, vel sola vniuersalitas, vel aggregatum ex natura, & vniuersalitate: nullum ex his definitur: ergo vana est definitio. Probatur minor; nam id quod definitur, est vnum aptum prædicari de pluribus specie differentiis, sed neque sola natura prædicatur de pluribus, cum non sit à parte rei vniuersalis; neque sola vniuersalitas, quæ nec inest, neque prædicatur de inferioribus generis; neque aggregatum ex vtraque, natura enim & vniuersalitas non affirmantur de inferioribus; ergo nullum ex his tribus est id quod definitur in hac definitione generis. Idemque argumentum de aliis omnibus prædicabilibus fieri potest.

Tertia obiectio. Quid definiatur in definitione generis.

Respondeo in hac definitione generis, id, quod adequatè definitur, nec esse solam naturam subtrata vniuersalitati, neque solam vniuersalitatem, neque aggregatum ex vtraque, propter rationem allatam in argumento; sed naturam prout connotat vniuersalitatem tanquam rationem formalem, esse id, quod definitur, ita vt in recto natura sola definiatur, prout connotat in obliquo vniuersalitatem. Illud enim est definitum in qualibet definitione, cui conuenit definitio. Sed definitio generis conuenit naturæ, prout in obliquo connotat vniuersalitatem; illa enim est quæ potest prædicari de pluribus: ergo illa est id, quod definitur. Deinde in alijs omnibus concretis idem contingit;

DEI HODG

si enim definiatur album id, quod est habens albedinem, siue id, quod est disgregatum visus, definitur in recto ipsum subiectum, in quo est albedo, prout connotans albedinem in obliquo.

Instabis. Definitio essent alis conuenire necessarium debet rationi formali, quæ sola est essentia rei: vniuersalitas sola est ratio formalis: ergo illa sola definitur.

Deinde id quod constituit definitum, est id quod definitur: vniuersalitas constituit genus: ergo illa est id quod definitur.

Resp. distinguendo primam maiorem: definitio formalis & essentialis conuenit ut quod, & in recto rationi formali, & essentiali rei, nego; conuenit in obliquo, & ut quo, concedo; sic enim de omnibus concretis nuper dixi. Similiter, id quod constituit definitum in obliquo, est id, quod definitur in recto, nego; est id quod definitur in obliquo, concedo. Genus enim ita est constitutum ex natura & vniuersalitate, ut in recto dicat naturam, vniuersalitem autem tantum in obliquo.

§. II.

Quomodo genus prædicatur.

Dixi, genus posse prædicari: nunc circa modum, quo potest prædicari, tria difficultatem habent, an prædicetur ut totum, an prædicetur in quid, an copulatiue prædicetur de multis.

Affertio bimembri.

Dico secundò, genus etiam quando actu prædicatur, esse totum essentialiter confusum; esse autem totum potentiale, quando est prædicabile, non quando actu prædicatur.

Totum actuale, totum potentiale.

Obserua primò, totum aliud esse actuale, aliud potentiale: totum actuale illud est, quod continet actu partes definitionis: totum potentiale illud, quod non actu, sed potestate continet plura inferiora minus communia, de quibus proinde potest prædicari. Animal v.g. totum est potentiale, quia non actu, sed potentia continet hominem & equum, qui sunt minus communes quam animal. Totum verò actuale, siue sit essentialiter, siue integrale, continet semper actu suas partes, & non est aliquid illis communius; partes enim v.g. definitionis æquale patet ac totum definitum. Vnde fit ut totum potentiale, totum quidem reperiatur in suis partibus, secundum suam essentiam, sed non secundum communitatem, seu potentialitatem.

Totum essentialiter, totum integrale.

Obserua secundò, totum actuale duplex esse; aliud enim est essentialiter, aliud integrale. Totum essentialiter illud est, quod continet partes definitionis; & illud iterum est duplex, aliud confusum, aliud signatum. Totum essentialiter confusum, illud est, quod explicitè dicit vnâ partem definitionis, aliam verò confusè; quia cum sit concretum, dicit in recto suppositum, ut animal: totum essentialiter signatum est, quod explicitè dicit totam essentiam, ut homo. Totum integrale, illud est, quod continet partes quantitativas. His positis

Probatio assertionis.

Ratio, cur genus sit pars essentialis explicitè, manifesta est; quia pars est definitionis, componitque speciem vnâ cum differentia. Sed quia tamen nomen est concretum, significans in recto ipsum suppositum confusè, propterea est totum essentialiter, sed confusum; & hoc cuiuslibet vniuersali conuenit, quod confusè saltem sit totum actuale. Sed quia tamen totum potentiale, ut dixi, est illud, quod est superius & communius suis partibus, quas non actu, sed potestate continet, genus communius est speciebus, quas potestate continet, quatenus est prædicabile;

A cum verò actu prædicatur, non est quid communius, aut superius speciebus, sed illis adequatur, & illas actu continet; idè genus, quando est prædicabile, totum est potentiale; quando actu prædicatur, non est nisi pars potentialis; si enim esset totum potentiale, tunc quando actu prædicatur, deberet tota communitas generis reperiri in qualibet specie, de qua prædicatur.

Obiicitur primò. Sequitur quod in definitione hominis rationale bis ponitur, si verum sit, quod genus sit totum confusè; animal enim est totum: ergo significat rationale per se solum: ergo cum dico animal rationale, bis dico rationale; dico enim animal rationale rationale. Prima obiectio.

B Resp. negando quod in definitione speciei bis ponatur differentia; nomen enim concretum, si solitarie sumatur, est totum; si autem coniunctum cum differentia, seu in definitione speciei, illud solum dicit, quod significat explicitè; non autem ipsam differentiam, quæ simul ponitur post illud; per differentiam enim adiunctam limitatur genus, ut non significet nisi totum illud quod implicite inuoluit, cum in definitione non sumatur nisi ut pars.

Obiicitur secundò. Si genus est aliquod totum continens potentialiter omnes species: ergo cum dico, Homo est animal, significatur, quod homo est omne animal. Secunda.

Resp. negando consequentiam, quia genus, quando actu prædicatur, est tantum pars, non autem totum. Tertia.

C Obiicitur tertio. Genus, seu materia metaphysica non est magis totum, quam materia physica: sed materia physica nullo modo est totum, neque prædicatur de toto: ergo neque genus.

Resp. negando maiorem; ratio enim disparitatis est, quia genus cum non distinguatur à differentia, quæ est quasi eius forma, non habet modum subsistendi distinctum à modo subsistendi differentia, & totius essentia; idè significando suam subsistentiam in concreto, significat ipsum totum, quod non habet subsistentiam distinctam à subsistentia generis. Materia verò cum sit distincta à forma & à toto, subsistit per propriam subsistentiam distinctam à subsistentia totius & formæ, idè licet sumatur cum sua subsistentia, non dicit propterea totum; idè genus est totum, non autem materia.

D Dico tertio. Genus verè ac propriè prædicari in quid, id est ad modum per se stantis, non autem per modum adiacentis. Genus prædicatur in quid.

Ratio est, quia ut aliquid prædicetur in quid, duo requiruntur, ut sit de rei essentia, & ut sit nomen substantiuum; vtrumque conuenit generi, quod est prima pars essentia, & semper est substantiuum, ut animal. Imò illud quod est primum in re, & determinabile per aliud, non potest esse adiacens; quod enim adiacet, determinat; hoc autem quod determinatur, est id, cui aliud adiacet. Genus, ut sæpe dixi, non determinat, sed determinatur: ergo genus non adiacet, sed substat. Fateor concretum adiectiuum prædicari per modum inhaerentis & adiacentis; concretum verò substantiuum prædicari ad modum per se stantis.

E Obiicitur. Genus est aliquid minus nobile, quam differentia: ista prædicatur in quælibet quid: ergo genus prædicari non potest in quid, alioqui modum habet prædicandi nobiliorem, quam differentia. Obiectio.

Resp. distinguendo maiorem. Genus est aliquid minus nobile, quam differentia, secundum modum essendi à parte rei proprium differentia; concedo; differentia enim se habet per modum actus & formæ; quod est nobilius quam se habere per modum potentia ac materiae. Differentia secundum

dum modum essendi prout concipitur à nobis est nobilior genere ut concipitur à nobis, nego maiorem; quia genus concipitur ut aliquid absolutum, & recipiens formam: differentia verò concipitur per modum inhaerentis, & aduenientis generi.

Vniuersale
an possit
copulatiue
prædicari.

Dico quartò, nullum esse vniuersale, quod non sit aptum prædicari de omnibus inferioribus suis sumptis copulatiue, tamen de illis non actu prædicetur, nisi disiunctim & confusè; adeò ut genus v. g. dum est vniuersale, sumatur in suppositione copulatiua; dum verò actu prædicatur, sumatur in suppositione confusa. Hac conclusio solà eget explicatione, pro qua

Obserua suppositionem esse acceptionem vocis pro pluribus inferioribus per copulam & coniungentem integras propositiones; ut cum dicitur: *Omnis homo est rationalis*, significatur, quod & Petrus est rationalis, & Paulus, & Ioannes, &c. ubi vides particulam, &, coniungere integras propositiones. Et in hac prædicatione copulatiua necesse est, ut totum prædicatum conueniat subiecto, ut cum dico: *Ioannes est Rhetor, & Musicus, & Philosophus*, oportet, ut tria illa verè conueniant Ioanni, alioqui est falsa prædicatione, si vel vnum desit. Suppositio confusa, quæ vocatur etiam disiuncta, est acceptio vocis pro pluribus inferioribus per particulam vel, connectentem simplices terminos, non autem integras propositiones, ut cum dico: *Petrus est vel Rhetor, vel Musicus, vel Philosophus*, sufficit enim tunc ad veritatem, ut subiecto conueniat pars aliqua prædicati, quæcumque illa sit: sicut cum etiam dicitur: *Petrus est hic, vel ille homo*. His positis

Probatio as-
sertionis.

Ratio positæ assertionis euidens est; nam illud, ut dixi, prædicari potest copulatiue de pluribus, quod potest affirmari de pluribus per particulam, &, connectentem integras propositiones: quodlibet vniuersale huiusmodi est; homo enim abstractus prædicari potest de omnibus hominibus, ita ut dici possit, & Petrus est homo, & Paulus est homo: ergo quodlibet vniuersale copulatiue aptum est prædicari de pluribus.

Quod autem actu prædicetur confusè, ratio est, quia prædictio actualis destruit totam vniuersalitatem, ut probabo in Metaphysica: ergo vniuersale non prædicatur amplius vniuersaliter, sed tantum confusè.

Prima obie-
ctio.

Obiicitur primò, illud non est prædicabile copulatiue de pluribus, quod non potest singulis totum conuenire; genus & quodlibet vniuersale non potest totum conuenire singulis inferioribus: ergo non potest prædicari copulatiue. Neque dicas, vniuersale posse conuenire singulis secundum essentiam, non secundum potentialitatem. Sic enim insto. Si vniuersale idè est prædicabile copulatiue de pluribus, quia potest prædicari totum de singulis secundum essentiam, sequitur illud etiam copulatiue prædicari actu de pluribus; nam prædicatur totum secundum essentiam. Hoc autem negatum est: ergo, &c.

Resp. satis esse, quod vniuersale sit prædicabile de pluribus secundum essentiam, nec esse necesse, ut prædicabile sit totum secundum potentialitatem; dum autem actu prædicatur, desinit esse vniuersale, cum adæquatur subiecto suo, idè non est id quod prædicatur.

Secunda
obiectione.

Obiicitur secundò, Prædictio vniuersalis illa est, in qua tota natura de aliquo prædicatur: ergo si de quolibet inferiori non prædicatur nisi eius natura, nulla datur prædictio vniuersalis.

Resp. distinguendo consequentiam: nulla datur prædictio vniuersalis, in qua subiectum est sine

R. P. de Rhodis curs. Philosoph.

A gulate, concedo; in qua subiectum est vniuersale, nego.

§. III.

De quibus prædicetur genus.

Dixi, genus prædicari de pluribus specie differentibus, circa quod video quæri posse, utrum possit prædicari etiam de pluribus numero differentibus: secundò, utrum genus exigit plures species, saltem possibiles, de quibus possit prædicari.

Dico quintò, Genus immediatè non prædicatur de pluribus numero differentibus, completè ac distinctè cognitis; prædicari autem potest etiam immediatè de illis incompletè cognitis. Duas partes habet posita conclusio, quarum explicatio erit sufficiens earum probatio.

Conclusio
bipartita.

Obserua igitur primò, indiuiduum aliquod tunc cognosci completè, quādo cognoscuntur omnia illius prædicata essentialia; tunc incompletè cognosci, quoties non omnia cognoscuntur prædicata illius essentialia, ut cum à longè video currès animal, neque possum discernere, an sit homo, an leo. Sic etiam, cum dico: *Hoc animal, est animal*, subiectum huius propositionis, siue, *hoc animal*, cognoscitur incompletè.

Completè
cognosci &
incompletè.

Obserua secundò, quod immediatè prædicari, est ita tribui alteri, ut inter prædicatum & subiectum nihil sit medium, ut: *Petrus est homo*. Mediatè tribui est, quando inter prædicatum & subiectum mediat aliquid, ut: *Petrus est animal*: nam inter Petrum & animal, mediat homo. His positis

Immediatè
prædicari &
mediatè.

Prima pars conclusionis videtur manifesta, quia genus immediatè non potest de illo prædicari, quod immediatè non illi subiicitur: indiuiduum soli speciei subest immediatè, non autem generi: ergo genus immediatè non potest prædicari de indiuiduis. Probatur minor: tum immediatè aliquid alteri subiicitur, quando illud est causa ut alterum ei subiiciatur: sola species est causa cur indiuiduum subiiciatur generi; ratio enim cur Petrus sit animal, est quia Petrus est homo: ergo indiuiduum immediatè non subest nisi speciei. Deinde non potest esse immediata progressio à summo ad imum, nisi per medium: gradus genericus est supremus; gradus indiuidualis est infimus: ergo non potest fieri progressio à gradu generico ad indiuidualem, nisi per medium, qui est specificus.

Prima pars
assertionis.

Secunda pars probatur, quia genus immediatè potest de illo prædicari, quod potest immediatè ab illo abstrahi: sed genus immediatè abstrahi potest ab indiuiduo cognito incompletè ac confusè; cum enim video à longè duos homines currentes, & duos leones, scio illa esse animalia; nescio qualia sint animalia: tunc ab illis abstraho immediatè genus animalis: ergo genus prædicari potest immediatè de indiuiduis incompletè ac confusè cognitis.

Secunda
pars.

Obiicitur primò. Cum dico: *Hoc genus est genus*, vel etiā: *Hoc animal est animal*, tunc subiectum quod est indiuiduum, distinctè cognoscitur; & tamen genus immediatè de illo prædicatur: ergo genus prædicatur immediatè de indiuiduo cognito distinctè.

Prima ob-
iectio.

Resp. genus quādo est prima species prædicabili, posse immediatè prædicari de indiuiduis, ut est dico: *Genus est genus*; sed illa prædictio est secūdi prædicabilis, non primi, cum genus habeat se ut species respectu illius, & illius generis; quia continet tantum diuersa numero: & ita licet ibi prædicetur genus, nō prædicatur tamè ut genus, sed ut species. In altera illa propositione: *Hoc animal est animal*, vel hoc animal cognoscitur completè, sicque animal prædicatur solum mediatè de hoc animali; si autem cognoscatur incompletè secundum solam rationem animalis, prædicatur immediatè.

C 3

Obiectio

Secunda
obiectio.

Obiicitur secundò. Hæc propositio: *Homo est animal*, æquivaleret huic: *Petrus est animal*, *Paulus est animal*, &c. Sed hæc: *Homo est animal*, est immediata: ergo hæc etiam: *Petrus*, *Paulus*, &c. est *homo*, est etiam immediata. Confirmatur. Hæc propositio: *Petrus est animal*, æquivaleret huic: *Hic determinatus homo est animal*, quæ est immediata: ergo etiam vna est immediata, quàm altera.

Resp. hanc propositionem: *Homo est animal*, æquivalere quidem realiter huic: *Petrus est animal*, *Paulus est animal*; sed formaliter non æquivalere, quia homo non significat Petrum, & Paulum adæquate, sed confusè tantum & inadæquate; idèoque prima propositio immediata est, non secunda. Ad confirmationem dixi: super, hanc propositionem: *Hic determinatus homo est animal*, esse mediatam tantum, si subiectum cognoscatur adæquate; sicut cum dico, *Petrus est animal*; si autem cognoscatur incompletè, immediata est, & non æquivaleret illi alteri: *Petrus est animal*.

Tertia ob-
iectio.

Obiicitur tertio. Si genus prædicatur immediatè de indiuiduis, vel prædicatur de illis ut genus, vel ut species: neutrum dici potest; genus enim ut genus prædicatur solum de specie differentibus; Petrus autem & Paulus non differunt specie: ergo non prædicatur de illis ut genus. Sed neque prædicatur ut species, cum non prædicetur ut tota essentia.

Resp. genus prædicari ut genus, quando prædicatur de numero differentibus completè cognitis, ut cum dico: *Petrus est animal*; quia prædicatur ut pars essentia: genus autem prædicari potest mediatè de numero differentibus. Quando autem prædicatur de pluribus incompletè cognitis, tunc prædicatur ut species, ut cum dico: *Hoc animal est animal*; quia tunc prædicatur immediatè de pluribus differentibus numero, & ut tota essentia; quod est esse speciem.

Quarta ob-
iectio.

Obiicitur quartò. Illa quæ sunt priora, prius necessariò cognoscuntur, quàm ea quæ sunt posteriora: sed vniuersalia sunt priora, gradus scilicet genericus prior est gradu specifico: ergo prius cognoscitur gradus genericus, quàm gradus specificus: ergo immediatius semper cognoscitur gradus specificus de indiuiduo, quàm genericus. Confirmatur. Nam indiuiduum, etiam incompletè cognitum, subest solum mediatè generi: ergo mediatè solum prædicatur de illo genus.

Satisfit.

Resp. verum esse, quod in cognitione completa prius ea cognoscuntur, quæ sunt priora; in cognitione autem incompleta, non prius cognoscuntur. Ad confirmationem concedo, indiuiduum subesse semper per se loquendo immediatius speciei, quàm generi; sicque per se loquendo id quod immediatius subiicitur generi, est id de quo genus immediatius prædicatur; sed per accidens tamen prædicari potest de illo quod illi mediatè solum subiicitur; quia prædicatio confusa est, & inadæquata.

Genus exi-
git plures
species pos-
sibiles, non
plures exi-
stentes.

Dico sextò, genus non exigere quidem habere sub se plures species actu existentes, sed habere tamen necessariò plures species possibiles.

Prima pars de speciebus actu existentibus vix eget probatione, quia ut aliquid sit verum genus, requiritur tantum ut sit aptum inesse ac prædicari de pluribus differentibus specie; si autem plures habeat sub se species possibiles, etiam si vna tantum, vel etiam nulla sit actu existens, erit tamen aptum inesse ac prædicari de pluribus specie differentibus: ergo erit verum genus etiam si non habeat sub se plures species actu existentes.

Secunda pars aliquos habet aduersarios, sed immerito; nam genus ut genus debet prædicari posse

A de pluribus specie differentibus; hæc est enim definitio generis: sed si vna tantum species sit possibilis, v.g. si nullum possibile sit animal præter hominem, non poterit illud prædicari de pluribus specie differentibus, nam hoc est prædicari de pluribus speciebus: ergo si vna tantum species sit possibilis, genus non erit verum genus; sicut nec erit vera species; si vnum dumtaxat indiuiduum sit possibile.

Deinde genus ut sit verè genus, contrahi debet, & determinari per differentiam: sed si latius non pateat quàm differentia, non poterit contrahi; quod enim necessariò vniuersalius est, est & determinabile: ergo illud prædicatum non esset genus, quod vnicam sub se haberet speciem possibilem.

Prima ob-
iectio.

B Obiicitur primò. Tunc est verum genus, quando prædicatur incompletè de pluribus: sed si solus homo esset possibilis inter animalia, semper tamen animal prædicaretur incompletè tanquam pars essentia hominis; diceret enim tantum principium sensationis, non autem principium discursus, & posset præscindi vnum ab altero: ergo animal verum esset genus, quamvis sub se non haberet nisi vnam speciem. Variæ ad hoc argumentum excogitatae sunt solutiones, quibus omisiss.

Resp. distinguendo maiorem: tunc est verum genus, quando prædicatur incompletè per modum partis determinabilis per vltiores differentias minus communes, concedo; quando prædicatur incompletè, non per modum partis determinabilis per differentias minus communes, nego. Si autem esset possibilis vna dumtaxat species animalis, animal non determinaretur, ut dixi, neque contraheretur per rationale, cum æquè ambo latè paterent: unde animal tam esset differentia rationalis, quàm rationale differentia hominis, & vtrumque constitueret hominem æquè vltimò. Secundò dici etiam potest, quod animal tunc non prædicaretur incompletè de homine, sed diceret essentialiter in suo conceptu ipsum rationale, neque vnum cogitari posset sine alio formaliter conceptu, saltem implicite; qui enim diceret animal, diceret rationale, & econtrà. Sicut essentia Dei præscindi non potest ab eius singularitate, quia Deus est essentialiter immultiplicabilis. Eadem tunc esset ratio de specie humana, si præter eam nulla species animalis esset possibilis.

Secunda ob-
iectio.

D Obiicitur secundò, etiam si vna tantum forma esset possibilis, materia tamen physica esset materia, & pars essentia; igitur materia etiam metaphysica esset verè genus, & pars essentia, quamvis vna tantum differentia esset possibilis.

Resp. negando consequentiam; disparitas enim est, quia materia physica realiter distinguitur à forma, idèoque benè intelligitur sine forma, & est pars essentia; genus autem, & alij gradus metaphysici non distinguuntur, atque ita vnus gradus non determinatur per alium, nisi quia est eo communior; neque distinguuntur ratione, nisi quia sunt in diuersis subiectis.

SECTIO III.

De Specie.

Q Væ disputata sunt hæcenus de genere, dici eadem omnia possunt de ipsa specie, manentque soluta eodem modo ex ibi dictis; unde mihi duo video superesse: primò, quid, & quotuplex sit species: secundò, quid & quotuplex sit indiuiduum.

S. I.